UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

24. Tritones, ex Pausania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

TRITONES EX Pauſania.

Deſcriptio XXIV.

TRitones in capite habent veluti paluſtris ranæ comam, ſimilem & calore & capillo, cuius crines diſcernere nequeas; Reliquum corpus ſquama horret, quæ Lunæ aſperitatem referat. Branchias habent ſubter aures, naſum hominis: os verò amplum, & dentes ferinos, oculos, vt videntur, glaucos. Suntque ipſis & manus, & digiti, & vngues operculis cochliarum ſimiles. Infra pectus & ventrem cauda porrigitur pedum loco, quemadmodum Delphinis.

DIGNITAS VIRILIS, SEV THEAGENES.

Heliod. in Æthiop. lib 3.

Deſcriptio XXV.

Ἀλλὰ τούτους ὦ, Κνήμων, τοιούτους ὄντας, οὕτως ὑπερεῖδε καὶ παρέδραμεν ἡ τῶν παρόντων ὄψις: πρὸς τὸν ἵππαρχον (ἦν δὲ τὸ μέλημα τὸ ἐμὸν Θεαγένης) ἅπας ἐπέστρεψεν· ὥστε ἔδοξεν ἂν ὑπὲρ ἀστραπῆς τὸ φαινόμενον πρότερον ἅπαν ἠμαυρῶσθαι, τοσοῦτον ἡμᾶς ὀφθεὶς κατέλαμψεν· ἱππεὺς μὲν καὶ αὐτὸς καὶ ὁπλίτης τυγχάνων, καὶ δόρυ μελίαν χαλκόστομον ἐπισείων. τὸ δὲ κράνος οὐχ ὑπελθὼν, ἀλλ' ἀπὸ γυμνῆς τῆς κεφαλῆς πομπεύων, φοινικοβαφῆ χλαμύδα καθειμένος, ἧς τὰ μὲν ἄλλα χρυσὸς ἐποίκιλλε, τοὺς Λαπίθας ἐπὶ τοὺς κενταύρους ὁπλίζων. ἡ πόρπη δὲ Ἀθηνᾶν ἠλεκτρίνην ἔστεφε, τὴν Γοργοῦς κεφαλὴν εἰς θώρακα προασπίζουσαν. προσέβαλλε δέ τι χάριτος τοῖς γιγνομένοις, καὶ ἀνέμου λιγεῖα ῥιπὴ, μείλιχον γὰρ ἐπέπνει, τὴν μὲν κόμην ἠρέμα κατὰ τοῦ μετώπου τοὺς βοστρύχους παραστέλλουσα, καὶ χλαμύδος τὰς ἄκρας τοῖς νώτοις τοῦ ἵππου, καὶ μηροῖς ἐπιβάλλουσα. εἶπες ἂν καὶ τὸν ἵππον αὐτὸν συνιέναι τῆς ὡραιότητος τοῦ δεσπότου, καὶ ὡς καλὸν κάλλιστον φέρειν τὸν ἡνίοχον αἰσθάνεσθαι. οὕτω τὴν αὐχένα κυμαίνων, καὶ εἰς ὀρθὸν οὖς τὴν κεφαλὴν ἐγείρων, καὶ σοβαρὰν τὴν ὀφρὺν κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπιδινεύων, ἔφερε καὶ ἐφέρετο γαυρούμενος εὐηνία τε προποδίζων, καὶ ἐφ' ἑκάτερον ὦμον ἑαυτὸν ἐν μέρει ταλαντεύων, ἄκραν τε τὴν ὁπλὴν τῇ γῇ λεπτὸν ἐπικροτῶν, εἰς γαληνὸν κίνημα τὸ βῆμα κατερρύθμιζεν.

SEd hos, Cnemon, ſic ornatos deſpiciebant oculi eorum, qui aderant, & in perfectum equitem (erat autem mea cura Theagenes) conijciebantur, vt videretur tanquam à fulgure totum id, quod prius lucebat, obſcuratum eſſe. Tantam lucem vnius nobis conſpectus attulerat, cum eques quoque ipſe eſſet, & armatus, & haſtam fraxineam ærea cuſpide vibraret, non tectus galea, ſed aperto capite ſeſe oſtentans, purpurea chlamyde indutus, in qua Lapitharum, & Centaurorum pugnam intertextæ ex auro figuræ expreſſerant, fibula verò Palladem ex electro ſcitiſſimè factam repræſentabat, Gorgonis caput in ſcuto pectori præferentem, addebant autem aliquid gratiæ, & commendationis, venti placidiores auræ. Blandè enim aſpirabat, & modò comam ceruicibus molliter affuſam diuerberabat, modò capillos in fronte diſcernebat, modò chlamydis fimbrias tergo equi, & femoribus inſternebat. Dixiſſes, & equum ipſum intelligere formam Domini, & quod pulcher ipſe, & pulcherrimum geſtaret, ſentire rectorem. Ita collum commouens, & arrectis auribus caput attollens, & trux ſupercilium ſupra oculos verſans, ferebat, & ferebatur exultans, ac ſuperbiens: & laxato fræno alacriter progrediens: ac in vtrumq; latus alternis ſeſe librans, extremaque vngula leniter terram pulſans, agitationis contentionem inceſſu modico temperabat.